



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 5. Utrùm gratia efficax sit gratia necessitans voluntatem ad
consensum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

non solum actum causæ liberæ, sed etiam modum libertatis ejus efficaciter attingere potest. *Tertium fundamentum est*, inquit Alvarcz, lib. 12. disp. 121. num. 3. *concursum Dei generale esse influxum immediatum Dei in causas secundas, per quem præmoven- tur, applicantur, & determinantur, ut operentur unaquæque juxta conditionem suæ naturæ, naturalis quidem naturaliter, libera autem liberè.* Et inferius num. 6. *Inferitur, secundo infallibilitatem futuri consensu, effectusve prædestinationis ex decreto absoluto divine voluntatis, atque ex ipsa efficacia auxilio- rum prævenientis gratiæ desumptam, in nullo præjudicare ejusdem arbitrii libertati, siue quantum ad potentiam ipsam liberam, siue quantum ad actualem usum illius; sed mirum in modum illam perficere, & roborare: quia, ut dictum est, Deus non solum decrevit, quod homo operetur, sed etiam voluit, quod liberè operetur, & suo auxilio efficaci ejusdem hominis voluntatem, ut liberè operetur prædeterminat.*

Jansenius verò libertatis arbitrii cum gratia conciliationem in eo præcisè ponit, quod voluntas sub gratia non nihil agat, sed gratiæ cooperetur, spontè licet necessario, volendo. *Demonstrandum est*, inquit lib. 8. de gr. Chr. c. 5. *nunquam Augustinum respondendo Pelagianis, de violata per gratiam libertate conquerentibus, istum conciliandi modum tetigisse, quod voluntas ita per gratiam velit, ut possit non velle, sed semper illum, quod operante gratia non infar trunci, quem Deus moveat, feramur ad bonum, verum quod gratia non alium quempiam, sed nos ipsos faciat velle quod bonum est.* Et inferius: *Nihil evidentius esse potest, quam Pelagianos non aliter putasse libertatem voluntatis violari, nisi quia Deus per gratiam totum solus faceret, adeoque hominem invictum & reluctantem ad bonum cogeret: nec aliter Augustinum liberum arbitrium defendere, & concordiam utriusque tradere, nisi quia non sola in homine operatur, sed etiam voluntas ex nolente & repugnan- te fit volens, & volendo cum gratia aliquid facit.* In hoc autem libertatem voluntatis cum gratia concilian- di modo ducem secutus est Calvinus Jansenius, ut patet ex dictis, Art. 2.

Porro, quod non est prætermittendum, quàm alienus fuerit à systemate Thomistico Jansenius, ostendit ipse, cum ait, lib. 8. de gr. Ch. c. 2. *Quapropter qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi causæ primæ & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici, quàm Augustiniani sunt.* Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius universam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat, &c.

ARTICULUS IV.

Utrum gratia efficax sit gratia necessitans voluntatem ad consensum.

RESPONSIO.

Gratia efficax non est gratia necessitans voluntatem ad consensum. Est de fide, contra Lutherum, Calvinum, & Jansenium.

Prob. 1. ex Concilio Senonensi. Neque, inquit decreto 15. liberum arbitrium asserentes divinam excludimus propterea gratiam; quod illi falso toties imponere non verentur, atque hoc summo credulorum oculos perstringere: sed juxta sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordia prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum. Neque tamen tanta gratia necessitas libero præjudicat arbitrio; nec enim tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum sanctum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.

Synodus loquitur de gratia, quacum voluntas non solum potest converti in Deum, sed etiam re ipsa convertitur; adeoque loquitur de gratia efficaci. Unde sic argumentor. Si gratia efficax esset gratia necessitans voluntatem ad consensum, voluntas non posset resistere gratiæ efficaci, & inevitabiliter ab ea raperetur. Atqui hoc evidenter repugnat Senonensi Synodo. Ergo, &c. Vel etiam sic. Si gratia efficax esset gratia necessitans, voluntas non posset resistere gratiæ, quacum convertitur in Deum, sed ab ea inevitabiliter raperetur. Consequens est contra decretum Senonensis Synodi. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Concilio Tridentino, sess. 6. ubi cap. 5. loquens de gratia, quacum, ei liberè assentiendo & cooperando, ad suam ipsorum justificationem disponuntur homines, sic ait: Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen, &c. Et can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum non posse dissentire, si velit ... anathema sit. Et can. 5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re ... anathema sit. Et can. 32. Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, &c. anathema sit. Ex his autem

Argumentor sic. Ex Trid. potest homo gratiam, quacum re ipsa ad suam ipsius justificationem disponitur, abjicere seu repudiare, eique dissentire, si velit. Atqui hoc non posset, si gratia illa esset necessitans: repugnat enim gratiam necessitantem repudiari posse; cum in tantum sit necessitans, in quantum intrinsecè irrepudiabilis est. Item repugnat dissentiri posse gratiæ necessitanti, quia si voluntas potest dissentire, hoc ipso non necessitatur ad consensum. Ergo gratia illa, quacum homo ad suam ipsius justificationem disponitur, adeoque gratia efficax, non est gratia necessitans.

Præterea, si gratia efficax debet esse gratia necessitans, certè quia, ut volunt Novatores, homo non potest velle bonum, nisi ad illud volendum necessitetur. Falsum cons. Ergo, &c. *Prob. min.* Si homo non potest velle bonum, nisi ad illud volendum necessitetur, certè quia non potest amplius etiam cum gratia se ipsum determinare ad volendum bonum, ut per se clarum est, & ipsi Novatores dicunt. Atqui hæc ratio nulla est, & hæretica. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si homo non potest amplius etiam cum gratia se ipsum determinare ad volendum bonum, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum irreparabiliter amissum & extinctum est: liberum enim arbitrium in sensu Catholicorum omnium, & in quo proinde à Trid. sumitur, est facultas agendi vel non agendi ex propria determinatione, positis omnibus ad agendum prærequisitis. Atqui quod liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum sit & extinctum, falsum & hæreticum est, ut patet ex Canone Tridentino. Ergo, &c.

Præterea, si gratia efficax esset gratia necessitans, homo, quoties bonum salutare vellet, vellet illud necessariò. Ergo non esset liber libertate indifferentiæ circa bonum salutare: hominem enim velle aliquid necessariò, & nihilominus circa illud habere libertatem indifferentiæ, contradictionem implicat. Ergo non esset liber libertate arbitrii circa bonum salutare, etiam cum gratia efficaci: libertas enim arbitrii est libertas indifferentiæ. Ergo liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum & extinctum esset irreparabiliter, quod est hæreticum, & ut tale damnatum à Synodo Tridentina.

Nec dic, Synodum can. 5. per liberum arbitrium non aliud intelligere, quàm facultatem spontè volendi sive bonum sive malum, positis omnibus ad volendum prærequisitis. Nam contra est, quia, 1. hic canon petit Calvinum & Lutherum, qui negant in homine lapso, non facultatem spontè volendi, pos-

tis

is omnibus ad volendum prærequisitis, sed expeditam facultatem volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud pro arbitrio, in ordine scilicet ad mores.

2. Nullus hominum negavit unquam, aut etiam negaturus est extra insaniam vel delirium, homini inesse facultatem illam spontè volendi sive bonum sive malum: cum nullus sit hominum, qui sibi conficius non sit, se, sive bonum velit sive malum, spontè illud velle, imò nec posse nisi spontè illud velle, & actui volendi coactionem propriè dictam evidenter repugnare, tamque repugnare, quam repugnat non velle volendo, aut non volendo velle. Quem ergo aut quos peteret Canon Tridentinus?

3. Cum Synodus dicit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, &c.* manifestè perinde est, ac si diceret: *Si quis liberum arbitrium, quo fruebatur Adamus ante peccatum, post ejus peccatum non manere, sed amissum & extinctum esse dixerit, anathema sit.* Atqui liberum arbitrium, quo fruebatur Adamus ante peccatum, fuit expedita facultas bene vel malè agendi, facultas volendi vel non volendi hoc vel illud, positis omnibus ad volendum & agendum prærequisitis. Ergo Synodus, canone laudato, per liberum arbitrium expeditam illam facultatem intelligit. Quod confirmatur ex eo quòd ipsimet Novatores, contra quos canon ille editus est, ut Calvinus & Calvinistæ, illum de eligendi facultate, que sit in utramque partem libera & soluta, interpretentur, neque Ecclesia reclamante, neque ullo è Catholicis Doctoribus, qui contra illos pro Ecclesiæ definitione pugnant, contradicente. Sed ut ad assertionis nostræ probationem revertar,

Sic adhuc argumentor. Ex Trid. si gratia efficax est gratia necessitans, hominis justificati bona opera sic sunt dona Dei, ut non sint bona ipsius justificationis merita. Consequens hæreticum est. Ergo, &c. Minor patet ex can. 32. Conc. Trid. *Prob. sequela maj.* Nam bona opera ab homine justificato fierent necessariò; adeòque sicut non haberent laudabilitatem moralem, ita nec haberent, nec habere possent dignitatem ad præmium. Ergo nec essent, nec esse possent bona hominis justificati merita.

Prob. 3. ex Innocentii X. Bulla contra Janfenii librum edita, quæ incipit, *Cum ex occasione*, & in qua hæc Janfenii propositio: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*: damnatur ut hæretica. Unde sic argumentor. Si gratia efficax est gratia necessitans, ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Consequens est hæreticum. Ergo, &c. Minor patet ex Bulla laudata. *Prob. seq. maj.* Nam iusti, 1. merentur per opera pietatis. 2. Hæc opera non exercent sine gratia efficaci; adeòque si gratia efficax est gratia necessitans, iusti opera pietatis, quibus merentur, non exercent sine gratia necessitante, & consequenter exercent cum sola libertate à coactione; hanc enim solam libertatem comparitur gratia necessitans. Ergo si gratia efficax est gratia necessitans, iusti merentur per opera pietatis exercita cum sola libertate à coactione; atque ita ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Prob. 4. ex S. Augustino, cujus ex plurimis testimoniis, quæ proferri possent, unum tantum & alterum proferam, vitandæ prolixitatis causa. 1. itaque S. Doctor, lib. 2. contra litteras Petiliani Donatistæ cap. 84. Petiliano dicenti: *Cur vos non liberum arbitrium unicuique sequi permittitis; cum ipse Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus, viam tamen iustitiæ ostendens, ne quis forsitan nescius deperiret? Dixit enim: Posui ante te bonum & malum, posui ante te ignem & aquam, quod volueris elige. Ex quo vos arbitria miseri (Catholici) vobis non aquam, sed ignem non potius elegistis: sed tamen, inquit, Bonum elige, ut vivas: qui non vis bonum eligere, vi-*

vere te nolle damnasti: sic respondet: Si tibi proponam questionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, forassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahat, si dimittit ut quis quod voluerit eligat: & tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri potest, ut quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater: sic fieri potest, ut ea quæ legum coercionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.

Observa. 1. Petilianus per liberum arbitrium manifestè intelligit expeditam facultatem unum è duobus oppositis, prout lubet, eligendi. 2. Dicit Deum homini etiam in hoc statu hanc facultatem concedere. 3. Queritur, quòd Catholici ad Donatistas in sinum Ecclesiæ Romanæ reducidos, aliam quàm suasionis viam ineant, & legum pœnalarum coercionem adhibeant, sicque non permittant Donatistas libertate illa frui, quam eis concessit Deus, sed pœnarum terrore eis vim afferant, ut unam potiùs partem sequantur, quàm aliam. Ad hæc S. Augustinus supponens cum Petiliano liberum arbitrium esse expeditam unum è duobus oppositis, prout lubet, eligendi facultatem, respondet, cum legum coercionem manere posse & manere liberum arbitrium; quia leges, coercendo homines, non spoliant illos expedita facultate unum è duobus apposis, prout lubet, eligendi, sed solum admonent illos, & admonendo inducunt, ut hac facultate rectè utantur, id quod melius est, eligendo & sequendo: sicut cum tractione illa, qua Pater Cœlestis attrahit etiam efficaciter homines ad Filium, manere potest, & manet liberum arbitrium; quia Pater attrahendo etiam efficaciter ad Filium homines, non privat eos expedita facultate sequendi vel non sequendi tractionem, bonum vel malum pro arbitrio eligendi; nam non sic attrahit, ut non dimittat ut quod è duobus voluerint eligant; sed solum in eis operatur, quomodo eis aptum est, ut bene utantur facultate illa, meliorem eligendo partem, & veniendo ad Filium.

Juxta S. Doctorem igitur, & leges coercent homines, & nihilominus homines liberum habent arbitrium, quia nihilominus liberam habent & solutam facultatem eligendi quam partem voluerint, hoc est, prout libuerit, obtemperandi vel non obtemperandi legibus; sed solum hujus facultatis abusus impedit legum coercitio: sicut Pater & attrahit homines ad Filium, & liberum eis relinquit arbitrium, quia sic attrahit, ut eis relinquit liberam & solutam facultatem, quam partem voluerint, eligendi, hoc est, veniendi vel non veniendi ad Filium, credendi vel non eredendi in Filium, prout libuerit; ita tamen ut bonum hujus facultatis usum tractione sua procuret, homines trahendo quomodo scit eis congruere, ut tractionem sequantur, & veniant ad Filium, atque in eum credant. Ex his autem

Sic argumentor breviter. Ex S. Doctore Pater attrahendo efficaciter ad Filium homines, relinquit eis liberam & solutam facultatem eligendi quam partem voluerint. Ergo ex S. Doctore, in sensu composito gratiæ efficacis manet eligendi facultas in utramque partem libera & soluta. Atqui in sensu composito gratiæ necessitantis nec manet, nec manere potest talis facultas. Ergo ex S. Doctore, gratia efficax non est gratia necessitans.

At inquit S. Augustinus nihil aliud vult, quàm cum tractione efficaci manere facultatem spontè volendi & agendi, & Deum sic trahere efficaciter homines, ut non adimat illis facultatem spontè volendi & agendi. R. hoc esse manifestè fallum. Patet 1. ex facta textus integri expositione. 2. Ex eo quòd Deum homines in libero dimittere arbitrio, ut quod voluerint eligant, phrasin Augustini idem sit, ac Deum hominibus relinquere expeditam ad utrumlibet activam indifferentiam, expeditam volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud ex propria determinatione potentiam: hoc enim loquendi modo, ad exprimendam libertatem illam, qua poteratur homo in statu inno-

cen-

centiæ, passim utitur S. Doctor, ut agnoscunt ipsimet Novatores. 3. Ex eo quod S. Doctor expressè asserit, quod pauci intellectu penetrare valeant, quomodo hæc duo vera sint, videlicet quod Deus & homines ad Filium efficaciter attrahat, & nihilominus illos in libero dimittat arbitrio, ut quod voluerint eligant. Nam

Sic argumentor. Cum tractione efficaci manere facultatem spontè volendi & agendi, præsertim in systemate adversariorum, nullo negotio intelligitur, & omnibus, qui rationis compotes sunt, obviū est. Nam in systemate adversariorum, tractio efficax fit per cœlestem delectationem terrena delectatione maiorem. Unde in hoc systemate, cum tractione efficaci manere facultatem spontè volendi & agendi, nihil aliud est, quam hominem spontè velle & agere id quod cum delectat, & amplius delectat, quam oppositum; quod certe nemo rationis compos non potest capere. Ergo apud S. Augustinum, illud, Deum efficaciter attrahere ad Filium homines, & simul eos in libero dimittere arbitrio, ut quod voluerint eligant, tam captu difficile, ut intellectu pauci id penetrare valeant, illud, inquam, aliud est, quam, cum tractione efficaci manere facultatem spontè volendi & agendi. Illud autem aliud quid esse potest, nisi cum efficaci tractione manere expeditam sequendi vel non sequendi ipsam tractionem, & ad Filium pro arbitrio veniendi vel non veniendi potentiam?

2. S. Augustinus, lib. de natura & gratia, c. 65. Pelagio hæc Hieronymi verba, *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est*, objicienti, sic respondet: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam: sed in rectè faciendo, idcirco nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Quod autem hic S. Doctor necessitatis nomine intelligat antecedentem ad unum determinationem etiam voluntariam, patet 1. ex eo quod non ignorabat necessitatem sic accipi à Pelagio, nec tamen eum corrigit, sed omnia violentæ & voluntariæ necessitatis distinctione, ei planè consentit, uno tantum addito, quod pertinaciter negabat Pelagius, nempe quod immunitas illa ab omni necessitatis vinculo, qua gaudemus, sit effectus gratiæ, seu inspirationis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis intuitu meritorum Christi, qui ascendit in altum, *captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.*

Patet 2. ex eo quod à nobis in rectè faciendo removeat omne vinculum necessitatis. Qui autem removeat omne vinculum necessitatis, non solum violentam, sed etiam voluntariam necessitatem removet. Patet 3. ex eo quod hoc cap. 65. eodem modo necessitatem accipiat, quo capite sequenti accipit, cum ait: *Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ sit quadam peccandi necessitas, audiat homo, atque ut eadem necessitas non sit, discas Deo dicere: De necessitatibus meis educ me: quia & in huiusmodi oratione certamen est adversus tentatorem de ipsa contra nos necessitate pugnamus: ac per hoc opitulante gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, & mala necessitas removebitur, & libertas plena tribuetur.* Hæc autem necessitas peccandi, hæc mala necessitas, orta non ex conditione, sed ex vitio naturæ per peccatum corrupta, non est violenta, sed voluntaria necessitas; neque negabunt adversarii, cum eam ex delectatione terrena prædominante, qua malum amplius placet, proficisci doceant. Hæc itaque necessitas peccandi, per gratiam Christi removenda, est necessitas voluntaria; adeoque S. Doctor utroque capite de voluntaria necessitate loquitur.

Igitur juxta S. Doctorem, *liberi arbitrii*, hoc est, eligendi facultatis in utramque partem liberæ & solutæ, *nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate etiam voluntaria trahimur, alioquin ubi necessitas etiam voluntaria, nec corona est.* Atque ita notum est & obviū omnibus, ut nemo sit, qui non agnoscat: nemo qui non toto corde suscipiat:

nemo qui aliter conditam humanam neget esse naturam. Errat ergo Pelagius, non quia ab actibus nostris tam bonis quam malis, necessitatem etiam voluntariam removeret, sed quia plenam & ab omni necessitatis vinculo solutam ad rectè faciendum libertatem nobis attribuit, independentem ab interioris gratiæ adiutorio, sine quatenus non potest mala remove-ri necessitas, adeoque nec haberi plena ad rectè faciendum libertas.

Ex his autem sic argumentor. Ad virtutem trahimur per gratiam efficacem, & tamen ex S. Doctore non trahimur necessariò; & si traheremur, jam locus non esset merito, adeoque nec præmio. Ergo ex S. Doctore gratia efficax non est gratia necessitans. Item illa gratia non est necessitans, sub qua plenam habemus, & ab omni necessitatis vinculo solutam ad rectè faciendum libertatem. Atqui ex S. Doctore, sub interioris gratiæ adiutorio, quocum rectè facimus, hoc est, sub gratia efficaci, plenam habemus, & ab omni necessitatis vinculo solutam ad rectè faciendum libertatem. Ergo ex S. Doctore, &c. Gravem igitur S. Augustino injuriam faciunt, qui eum gratiæ necessitantis patronum constituunt.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Voluntas humana non potest resistere voluntati Dei. Ergo nec potest resistere ejus gratiæ. Conseq. patet. Nam si voluntas humana posset resistere gratiæ Dei, posset etiam ejus voluntati resistere. Prob. ant. ex S. Augustino. *Dat*, inquit, lib. de corr. & gr. cap. 14. *incrementum Deus, cui volenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium.... Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia, quæcumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.*

R. neg. conseq. Aliud enim est voluntates humanas non posse resistere Dei voluntati (absolutæ scilicet & efficaci, quod semper subintelligi debet, quando à Scriptura vel à Patribus simpliciter dicitur, voluntates hominum voluntati Dei non posse resistere,) & aliud, voluntates humanas non posse resistere gratiæ Dei. Primum dicit S. Doctor, non secundum. Primum verum est, secundum verò falsum. Primum negari, secundum verò affirmari non potest absque hæresi.

Itaque, ut rectè ait S. Doctor, non possumus resistere voluntati Dei, quia non possumus eam frustrare, nec simpliciter impedire effectum, quem illa absolute & efficaciter intendit, etiam si sit actus aliquis à libero nostro arbitrio dependens; non quia adhibet media irresistibilia, quibus proinde reluctari non possumus, sed quia non possumus impedire, ne in thesauris omnipotentis suæ habeat media etiam ex natura sua repudiabilia, plura & plura in infinitum, quibus infallibiliter præcariat voluntates nostras motum iri quomodo eis aptum est, ut liberè consentiant, si velit ea exequi; nec possumus eum impedire, quominus ea exequatur, cum, & ubi voluerit. Hoc satis aperte dicit S. Doctor, cum sic ait lib. 1. ad Simplic. qu. 2. *Non potest effectus misericordie Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit, quia si vellet etiam ipsorum (non electorum) misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.*

Quamvis autem non possumus resistere Dei voluntati, absolute & efficaciter intendenti, ut aliquid à nobis fiat, possumus nihilominus resistere huic medio, quod adhibet, ut illud à nobis fiat. Ratio est, quia, ut supponitur, voluntas Dei absolute & efficaciter intendit non solum ut illud à nobis fiat, sed etiam ut liberè fiat, adeoque non adhibet medium necessitans & irresistibile, quocum actus à nobis quidem

fic-